



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XLIII. Markgraf Ludwig d. R. bestätigt der Stadt Soldin die
Holzungsgerechtigkeit in der Golynschen Heide, am 2. März 1353.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XLII. Markgraf Ludwig d. R. sichert dem Stifte Soldin Abgaben- und Dienstfreiheit in allen seinen Besitzungen zu, ausgenommen seine Beisteuer zur Heerfahrt, am 25. Februar 1353.

Noverint universi etc. Quod nos Ludovicus Romanus etc. pensantes et considerantes continuacionem et frequentacionem officiorum divinatorum, que fuerunt frequenter in ecclesia nostra collegiata Soldinenfi beatorum apostolorum Petri et Pauli, quam augeri volumus in laudem et honorem omnipotentis Dei, genitricis eiusdem beatissime virginis Marie, dictorum apostolorum omniumque sanctorum ipsius, in remedium salutare animarum progenitorum nostrorum, de maturo consilio nostrorum consiliariorum eidem ecclesie Soldinenfi ac honorabili viro Thiderico Morner, nostro protonotario, Alberto, decano, ac aliis prepositis et decanis presentibus et futuris ac toti capitulo eiusdem infra scriptam gratiam fecimus et presentibus facimus specialem, Quod ipsi et ecclesia Soldinenfis et bona universa ville Silne, Molendina, aquas et flumina et aquas stantes et currentes et alia bona et res, proprietates ac possessiones, in civitatibus nostris sita vel extra, ad dictam ecclesiam pertinentia in antea nullis tallis personalibus et realibus, exaccionibus, precariis, collectis, contribucionibus, quibuscunque nomine censeantur, per nos, heredes nostros et fratres et capitaneos, advocatos aut officiales presentes et futuros perpetue debeant evocari vel infirmari, sed ab eorum donacione et perfolucione debebunt in antea esse liberi et immunes. Si tamen aliquam petitionem, collectam vel talliam terris nostris omnibus transoderanis communiter inponeremus, quam perfolvent, hanc secundum ratam honorum ecclesie eciam perfolvere non obmittent ac tempore expeditionis et reyse, dicte Hervarth, quam personaliter facimus, illa vice et aliis vicibus, quando personaliter expeditionem facere nos contingit, cum uno curru et III equis solum, quos expeditione et Hervarth completa eis restituere tenebimur, nobis de omnibus bonis ecclesie servient, quando-cunque per nos, ut predicatur, fuerint requisiti, quibus equis eis minime restituti nobis vel nostris heredibus dictum servitium non faciant ullo modo, donec dicti equi eis fuerint restituti. Confirmantes ex certa scyencia omnia et singula privilegia, literas, gratias et donaciones quecunque et quas-cunque data et indulta eis et ecclesie Soldinenfi per predecessores nostros, quondam Marchiones Brandenburgenses, illustrem principem, nostrum fratrem Karissimum Ludovicum seniore, Marchionem Brandenburgensem, et nos, meliori forma, qua valemus, Volentes eas robor firmatis perpetue obtinere. Presentibus G. de Swartzburg juniore, Hassone de Valkenburg, Hassone de Vchtenhagen, Ost, Jo. de Slivenn, Loterpeck, Hen. de Marwitz cum ceteris. Datum Fredeberg, Anno MCCCLIII, feria II post dominicam oculi.

Aus Diekmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives fol. 284.

XLIII. Markgraf Ludwig d. R. bestätigt der Stadt Soldin die Holzungsgerechtigkeit in der Gohynschen Heide, am 2. März 1353.

Noverint uniuersi tenorem presencium inspecturi, Quod nos Ludowicus Romanus, dei gracia Marchio Brand. et Lufatie etc., fidelibus nostris Consulibus Ciuitatis Soldyn licenciam

dedimus et presentibus liberam facultatem indulgemus, quod prefate Ciuitatis nostre Consules omnia ligna in merica nostra, Golyneche heide vulgariter nuncupata, iam actu iacentia vel de cetero vetustate, vento aut modo quouis alio in merica predicta super terram proiecta et prostrata, quorum summitas terram tetigerit, pro ipsorum vsu libere tollere poterunt et recipere, sicut antiquitus est seruatum in lignis iacentibus, sine nostra et omnium officiatorum nostrorum contradictione et impedimento. Pro quibus quidem lignis predicti fideles nostri annis singulis certos choros nobis persolvere consueuerunt et tenentur auene mericalis, Nolentes ipsos per aliquem seu aliquos nobis subditos impediri quomodolibet in premissis. Si tamen ad vsu nostrum edificandi edificia, domos et structuras aliquas quascumque dicta ligna referuare decreuerimus quandocunque, illa ligna nobis competencia non debent accipere, nec ipsorum vsui applicare. In cuius rei euidentiam nostrum sigillum presentibus est appensum, Presentibus strennuis viris Hennyngo de Wedel, Ludowico de Wedel, Petro de Trutenbergh, nostro Marschalco, et Marquardo Loterbegk, militibus, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Lippen, Anno domini Millesimo Tricentesimo Quinquagesimo tercio, sabbato ante Dominicam, qua cantatur Letare.

Nach dem Originale des Solbiner Stadtarchives.

XLIV. Markgraf Ludwig d. R. ordnet die Straßenfahrt von Neu-Landsberg ins Pommersche zu Gunsten der Stadt Solbin, am 2. März 1353.

Nouerint vniuersi tenorem presentium inspecturi, Quod nos Ludovicus Romanus, dei gracia Marchio Brand. et Lufacie etc. — fidelium nostrorum Ciuitatis nostre Soldyn Consul ac aliorum ciuim vniuersorum probitatis meritis exigentibus, talem vobis gratiam facimus et cum beniuolencia presentibus indulgemus, quod omnes et singuli currus, qui per ciuitatem nostram Nouam Landesbergh ad Oppidum Nienborgh et vterius versus terras Auunculi nostri ducis Stetinenfis hactenus transire consueuerunt per dictam nostram Ciuitatem Soldyn de cetero et nusquam alibi transire teneantur et debent. Si qui vero alibi, quam per dictam nostram Ciuitatem transeantes fuerint deprehensi, tales secundum arbitrium nostrum solum tamquam huius nostre prohibitionis puniri volumus transgressores, Harum testimonio litterarum. Presentibus Nobilibus viris Gunthero iuniori Comite in swarczburgh, Johanne Domino in kothebus strennuisque viris Bethkino de Oest, Petro de Trutenbergh, nostro Marschalco, Marquardo Luterbek, Wolfharde de Lenguelder, militibus, et Rulone de Liuendal cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Lyppen, Anno domini Millesimo Tricentesimo Quinquagesimo tercio, proxima die sabbati ante Dominicam, qua Cantatur Letare Ierusalem.

Nach dem Originale des Solbiner Stadtarchives.